

Quadringentum, & Solerium tantæ urbi condendæ pretio fuerunt. De hoc postremo nihil est, quod dicam in præsens, præterquamquod oppidum hoc hominibus frequentissimum dives, & valde populosum esse, territoriumque ejus omnibus rebus abundans, præsertim tritico, & ob hanc copiam Solerium appellatum existimo, quasi Solarium, in quod reconditur triticum, & præsentī ætate, & aliis præcedentibus semper progenuit viros bellicis artibus instructissimos, & literis aliquot viros insignes, inter quos Lancillottus Gallia floret J. C. eruditus, & qui maximam ingenii sui famam adeptus est, operibus per eum conditis summa cum laude.

Quadringentum vero a quadraginta Romanis familiis oppidum antiquitate est maxime illustre, utpote quod Romanorum usque temporibus ad comprimendos motus Ligurum cum plerisque aliis finitimis oppidis erectum fuerit, id attestante Merula: quod si & Livio credendum est II. hist. lib. testatur verum esse. Nam dum Romani varios bellorum eventus cum Liguribus habuissent, ut tandem illos a sæpe iteratis rebellionibus compescerent, nihil utilius ipsis visum fuit, quam Romanos colonos in eorum finibus transmittere, ut Ligures in officio continerent, & eorum auctoritate, & dignitate permoti a cœptis desisterent, ut si longius progressi fuissent, statim Rempublicam certiorē redderent, & armis quoad possent comprimerent. Superfunt adhuc plane antiquitatis vestigia, Templum, quod vetustatem redolet, in quo requiescunt corpora trium sanctorum Dalmatii, Primi, & Feliciani, qui pro Christi fide martirio coronati sunt, multorumque præterea aliorum reliquæ venerandæ pro summa diligentia a Quadringentinis asservantur in marmorea capsula, quæ & ipsa vetustatem redolet, utpote quæ Romanis temporibus fabricata fuit, idque verum esse inscriptione monstratur. Nam cum superiori anno arca illa aperiretur, quidam animadvertunt subter eam adesse hanc inscriptionem.

IPONIANUS SECUNDUS P. CEST.

JUS PRISCUS DUCENIUS PROC.

ES NERVÆ TRAJANI AUG. LEGION. I

TURM. VI. TRIBUN. MILIT. LEGION. XXI. R. A.

Adest eo in loco Basilica figura rotunda, quæ antequam corpora prædictorum Sanctorum illuc translata essent, sancti Secundi Basilica nuncupabatur. Reperiuntur passim per territorium numismata diversorum Imperatorum tam ænea, quam argentea, & mea ætate reperta fuerunt. Quin quidam dum altius terram effoderet, statuam invenit magni ponderis argenteam; at cum diutius rem celasset, resciri non potuit, quomodo conflata fuisset; sed interim is valde locupletatus est. Cineres passim priscorum incolarum diversis in locis effodiuntur, & præsertim in agro meo Gorretano, in quo quotidie ingentes lateres ab agri cultoribus inveniuntur cineribus referti: sed quia ob frequentia bella, quæ diu in regione hac viguerunt, & ob longa militum hospitia, quæ sæpius eodem in hyberna transmittuntur, & ob hostium vicinitatem multa damna pati coactum, etiam propter oppidanorum prædici-

tum in Civitatem commigrationem factum est, ut in vici speciem fere redactum visatur. Quamvis non desint viri divites, & opulenti, qui spem aliquando in ampliorem formam reducendi, & pristinum nitorem, & splendorem recuperandi mihi præbeant. Ex hoc tamen oppido plures viri insignes armis, & literis non secus ac ex equo Trojano exierunt, qui Civitatem ipsam abunde illustrarunt, & de quibus mox suo loco dicturus sum. Visitur etiam Ecclesia diruta lateritio lapide in ea regionis parte, quæ ad Appianum dicitur sub titulo sancti Nazarii; fama est, eaque constans, & pervagata Monacos Divi Bernardi illam inhabitasse, horisque Canonicis persolvendis vacasse: at supervenientibus bellis, aliisque humanis calamitatibus, eandem dirutam fuisse, humique prostratam; verum ex hujus Ecclesiæ ruina maxime crevisse civitatis Alexandria Episcopatum, cui ex diplomate Pontificio prædia dictæ Ecclesiæ sancti Nazarii unita fuerunt, & addita. Visebatur etiam & alia Ecclesia eodem in oppido sub titulo sancti Mathæi; quæ pariter unita fuit dicto Episcopatu, hoc onere juncto, ut alia Ecclesia sub consimili titulo Alexandria erigeretur. Hanc Ecclesiam postmodum ab Episcopis erectam fuisse credendum est, illamque esse existimo, quam fratres Capucini incolunt, vitam ducentes religiosam, & piam jam usque ab anno I ... sed ad reliquorum oppidorum enarrationem transire necesse est.

Forum fuit urbs tertio ab Alexandria lapide, postea Civitas Forelli dicta, nunc Villa Fori appellatur, olim populus ingens fuit, & opulentus; a Romanis oppidum conditum, a quibus etiam nomen suscepit, & clarius redditur cum patria Beati Baudolini viri sanctissimi, multisque miraculis clari fuerit jam usque Longobardorum temporibus; & de quo suo loco, & de tota vita ejus (quantum fieri poterit) explicabimus. Fuit enim hoc oppidum, quantum ipse conjectura consequi potui, ædificatum ab ipsis Romanis, quippe ut esset locus, in quo mundinationes exercerentur, & ad quod reliqua oppida mercaturæ gratia confluerent. Forum & juris, & nundinationis apud Romanos sedes fuit; hinc videmus multas Galliæ, & Italiæ Civitates fori nomen sortitas; vel quia in eis jus diceretur, vel quia vicini populi eo ut ad nundinas frequenter convenirent. Hac ratione Forum--Appii, Forum--Cornelii, Forum--Claudii, Forum--Fulvii, & multa alia appellationem eam sunt consecuta. Quidquid sit, constat, hoc oppidum fuisse antiquissimum non solum ex ipsius everfione, quæ etiam hac tempestate conspicitur ex Basilicarum destructarum ruina; quæ Basilicæ Mosaico opere elaboratæ erant, ut adhuc oculi testes probant; sed etiam numismatum veterum tam ære, quam auro, & argento conflatorum, quæ quotidie effodiuntur. Accedit quod etiam nunc visuntur ibidem vetera quædam monumenta marmorea in ædibus fratrum Ordinis S. Francisci cum his inscriptionibus.